

52. Et materia (suo modo) ἐντελέχεια est, qua se substernit ita formæ, ut eam existere faciat, quæ seorsum non exstet, sed sit in potestate efficientis. Scal. d. l.

53. Exemplum appositum adducit Scaliger d. l. quod videas. Nos jam ad magis specialia properamus.

54. MATERIA CEREVISIÆ est Tum ORDINARIA & VVLGO RECEPTA, Tum EXTRAORDINARIA, & velut ACCESSORIA.

55. ORDINARIA est & HVMIDA & SICCA.

56. HVMIDA est aqua.

57. Ex aqua enim Cerevisiam coqui vel pueri etiam norunt.

58. Nescio an & finem & usum seu cur ex ea fiat, norint.

59. Ille conspicitur ET DVM FIT, & DVM FACTA EST Cerevisia.

60. DVM FIT. Mixtio materierum hic ita fieri debet, ut non tantum illæ uniantur. Sed vel maximè etiam ut vires & facultates commisceantur.

61. Idq̄, pro potu.

62. At quì tandem sicca omnia ita miscebuntur, ut vires etiam unà cum illis coeant?

63. Siccum solum terminari nequit à qualitatibus actiuis, imprimis hic calore.

64. Quia eius partes non cohærent, nec uniuntur.

65. At debent cohære & uniri, siquidem vera fieri debet mixtio.

66. Est enim μίξις τῶν μικτῶν ἀλλοιωθέντων ἔνωσις. Arist. I. de ortu & inter. c. 16. cort. 90.

67. Vel, ut placet Scaligero Exerc. 101. sect. 1. est motus corporum minimorum ad mutuum contactum, ut fiat unio.

68. E. eorum propriè erit mixtio, quorum extrema cum aliorum extremis unum fieri possunt. Scal. d. l.

69. Et hæc humida, seu ut loquitur Scalig. d. l. liquida sunt.

70. Horum enim ratio est alieno finiri termino. Scal. d. l.

71. Hinc facile eveniet, ut si duo liquida sese contingere incipiant, unum tandem fiant. Scal. d. l.

72. Quia suis terminis coarctari nequeunt. Scal. d. l.

73. Hinc vides, Humida seu liquida tantum coire posse, & verè uniri.

74. Non tamen omnia, quod rectè præcidit Sophistis effugium. Scal. d. l.

75. Nec tamen sufficit humidum.